

TRIUMPHALIS PORTA,

Seu
Anagrammatibus XIV. illustratum Epigramma sive INSCRIPTIO,Quâ
Serenissimi & Potentissimi PRINCIPIS, ac DOMINI,
DOMINI

JOHANNIS GEORGII, III.

SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ & MONTIUM nec non ANGRIÆ &
WESTPHALIÆ DUCIS, SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARSCHAL-
LI & ELECTORIS, CASTELLANI MAGDEBURGENSIS

Ad Augustissimum

DUCUM OCTOVIRORUM

Conventum AUGUSTÆ Vindelicorum habitum

LEGATUS PRIMARIUS,

Et inde,

AUGUSTISSIMI

LEOPOLDI

ROMANORUM IMPERATORIS Inviētissimi
CONJUGE & IMPERATRICE AUGUSTISSIMA,*Serenissima Principe & Dominâ,*

DOMINA

ELEONORA MAGDA-

LENA THERESIA,

NATA COMITE PALATINA RHENI NEOBURGICA

Magnificentissimè Coronatâ,

Ut &

SERENISSIMO POTENTISSIMOq; PRINCIPE ac DOMINO

DOMINO JOSEPHO,

REGE HUNGARIÆ & AUSTRIÆ ARCHIDUCE

IN REGEM ROMANORUM Electo Coronatoque itidem

Quam felicissimè Redux

VICTOR rerum arduarum, Regiarum generosus GESTOR, Illustrissimus DOMINUS,

DN. NICOLAUS S. R. Imp. BAN-

NERHERUS & BARO à GERSDORF,

In Baruth, Hennersdorff, Buchvalde, Rakel, Bretteviz & Krekeviz Dynasta

Gloriosissimè memorato DUCI ENSIFERO

Consilii Status & Senatus Sanctoris Princeps & Camerarius supremus

Ab eo Cujus Studium est Fixum

Revereri Gersdorfianam Domum

illustrissimam, tantiq; Herois

Res Gestas Delineare:

Exceptus humiliter.

DRESDÆ, STANNO BERGENIANO,

clb lbc XG.



LUX

redit propius,

Longius cedit Nox:

Excute Somnum,

Quo pressa es absente Luce, SAXONIA.

Expergiscere, surge & Assurge, MISNIA,

Luci, Oculo, Phœbo Tuo,

Qui temporis aliquod extra vestrum fuit Horizontem,

Et jam revertitur

Horizonti vestro nova afferens *Lumina,*

Lumina Augusta ex Augustis Redux

Incomparabilis HEROS

NICOLAUS. S. R. Imp. Bannerherus

& Baro á GERSDORF,

Duobus Serenissimis DUCIBUS - ENSIFERIS

JOHANNI GEORGIO II.

&

JOHANNI GEORGIO III.

Illi olim sanctioris Consilii Senator & Comes Purpuratus,

Huic hodiè Ejusdem Senatus Purpuratorumque

CAPUT & Archicamerarius,

Totius Electoratus Saxonici

Oculus, Brachium dexterum & dextrimum.

Novas erige Portas, Saxoniam,

Atlantem tuam Reducem

Suscipe suscipe, Venerare, devenerare humilimè,

MISNIA,

Non una; sed in enumerabili Serie

Meritorum insignium per Universam Europam,

Germaniam, Galliam, Hispaniam, Daniam & Sveciam

Orientem & Occidentem, Meridiem & Septentrionem

Fama & Gloria hujus Herois celebris & famosa est,

Et infinita *Orbis Fama, Principumque* implevit Curias.

Famiosiora Ergò recense, Fama, Merita!

I.

Ingenium immensum Orbi vix ostensum

Publicæ Utilitati natum se probavit & datum,

Scientiam ex omni Scientiarum genere haud demicam

Germaniæ in Academiis quàm pluribus coëmit,

Sibi que labore indefesso comparavit,

Et in Peregrinationibus per *Italiam, Galliam, Angliam,*

Hollandiam haud aboluit, sed auxit & excoluit.

Ornatus ita Aulam Electoralem Saxonicam aggressus,

Ingressus modo, illustriores gradus transgressus

Virtutum *Primitias Primiceriæ* ostendit JUSTITIÆ,

Consiliis scilicet *Aulico & Appellationum:*

Ubi se exercuit, scientiam usu exaggeravit & exeruit,

Ut in *Viro-Juvene Senes* senile stupefcerent Consilium.

Res Ejus ibi gestæ tota superârunt Digesta,

Singula Ejus *facta* fuerunt *Leges,*

Majora fecit quam legit in legum *Codice,*

Totum

1656.

Totum erat *Jurisperitorum* Collegium.
Omnes gaudebant & plaudebant *Cives*:

CARE SAL, DIGNUS FORO!

per Anagramma

NICOLAUS à GERSDORF.

Sed ad altiora spirabat *Entheus* hic *Spiritus*;
Spirabat *Virtutum lumina* & *scientiæ Culmina*:
Spiracula *Ejus* erant *Oracula*:
Oracula, vera & mera *miracula*.
Accedebat *Prudentiæ gravitas*,
Eloquentiæ Svavitas, & *laborum Navitas*,
Qvæ amabilem reddebant *GERSDORFIUM* & æstimabilem,
Ut tandem ad *summos Aulæ* ascenderet *Honores*,
Sanctius nimirum *Senatus Conclave*.
Hæc erat *Orchestra Prudentiæ* explicandi *Thefaurum*,
Et *Lydio* quasi *lapide* probandi *Aurum*.

1661.

II.

Trucissimus *Turcarum* Tyrannus
Furiosus in *Hungariam* irruens *Eamque* exurens
Prima *Augustissimo LEOPOLDO* extorsit *Comitia*
Ratisbonensia in *hodiernum usque diem* rata:

1663.

Qvibus *Nomine Serenissimi Octoviri*

JOHANNIS GEORGII II.

Interesse decebat *Virum Prudentiâ secundum nulli*.
Optimus ad hæc à *Senatu Sanctiori* *judicatus GERSDORFIUS*
Non *secus* ac olim à *Romano* (a) *Scipio Nasica*,
Tantam *Consilii Vim* *Imperio* contulit,
Ut *spurci truculenta Violentia Turca*
Armorum Virorumque Potentiâ, *secundâ* *vinceretur Vice*.
Belua hæc *debellatâ & depulsâ*,
Novo *Gallus belli Fulmine Hispanos* terret
In *Interiori Germania*.

1667.

Ad *Regem magni Ingenii LUDOVICUM XIV.*
Magni Ingenii svavissimæque Svadæ *ablegandus* erat *Legatus*.
Deliberante & Digniore ad hoc *eligente Aulâ*,
Piissimus Elector JOHANNES GEORGIUS II.

ex *Oraculo* veluti *respondebat*:

SVADA FLORIDUM REGNIS NOSCO.

Qvô *transpositis literis* *exprimebatur*:

DOMINUS NICOLAUS à GERSDORF.

Fæcunda *hujus Legati* fuit *Facundia*,
Et *apud Regem Christianissimum* *Triumphalis*,
Validam Pacem ex *Galliâ* *retulit callida*.

1668.

III.

Merita hæc Imperialibus digna præmiis *esse non poterant sine Merito!*
Imperialis igitur Majestas *tot Res heroicè gestas*
Triumphali Signo, Bando (b) *Imperiali compensatura*
Gersdorfium Banderheri & Baronatus *donavit Dignitate*,
Purpuram Nobilitate antiquissimam *auxit Purpurâ*.

1673.

IV.

Funalibus Belli in *Oriente, Meridie & Occidente* *oppressis*,
Euro, Austro & Favonio *bellam spirantibus & fiventibus Pacem*,
Recentem Septentrio *accendit facem*
Qvæ in maxima se extendit Incendia,
Utrique Regno & Daniæ & Sueciæ *infesta & funesta*,

B

Aqvi-

Aquilonia hæc damna nec Lege *Aquiliã*,
Nec Armorum Fortuna *ἀδωρεστέρα* emendanda!
Sagum Militis & *Fulmina* pellere bellum haud poterant,
Poterant autem *Toga* & *Flumina* *Svadæ Gersdorfianæ*.
Hic à Duce *Ensisifero* & *Pacifero* JOHANNE GEORGIO II.
IRENES Cultore non *Legatus* sed *Angelus* ablegatus
Vi magni sui *Numine* & *Omine* pleni Nominis:
NICOLAUS IMPERII BANDERESIIUS à GERSDORF

1679.

translocatis tamen literis,
Sceptra belligerantia *Angelica* hæc salutavit Voce:
LIS ARDUA! JUS PACIS IN ORBEM REGNIS DEFERO!
Regia hic movit *Pectora*, *Arctoa* grandia sidera,
Ut extincto *Cometâ Bellonæ* & *Eridis* signo,
Cynosura luceret *Eroti* & *Irenæ*.

Probatum fecit: *Consilio* magis quam gladio sustineri *Regna*.
O! NICOLAUM verè NICOLAUM!
Victorem Populi, *Victorem Martis*, *Bellonæ* & *Eridis*!
Victor sine *Virtute* nunquam!

Laurum *Sapientibus Phæbeam*, *Martiam* *Militibus* præripuit,
Totam per *Europam* fulgidissimam.

O Facta digna antiquissimâ *Gersdorfiorum* Familiâ.
Quæ tam *Virtute* quam *Numerositate* (c) si non superior
Romanis Fabiis, certè non inferior est,

Qvos inter *Quintus Maximus* (d) & *Victoris Hannibalis* *Victor*,
Inter *Gersdorfios* *Nicolaus* *Victor* maximus.

A *Gerone* (e) *Marchionum* *Lusatorum* primo,
Aut si mavis à *Ger* seu *Gwer*, (Bello) *Virtute* bellicâ
Inclutissima hæc *Familia* sortita *Nomen*,
Tot *Bella* gessit & tot *Triumphos* egit,

Qvot *Romanorum Fabii*, *Scipiones*, *Marii* & *Camilli*,
Tot tantasque *Virtutes* secuta sunt *reges*, *Præmia*,
Et *Gersdorffii* facti sunt *reges* honorabiles:

Tà *regum* *Dignitates* maximas gesserunt in *Lusatia superiori*.
Et cum aliis generosis *Equitibus* ad *Marchionatus dignitatem*
Hanc *Provinciam* evexerunt *Victoriis*.

Marcas (Fines) strenui defenderunt *Lusati*:
Regia & egregia ipsorum *Gesta* prædicat *Nomen*:
LUSATI: per *Anagr.* SALUTI. LUSATIA: IT SALVA: SALVATI.
LUSATIA SUPERIOR: transjectis *Literis*:

O! ALTAS (LATAS) VIRES RUPI: SALUTARIS OPERUI
Fines scil. BOHEMIÆ, *Virtutes Lusatorum* prædicantis ita:
PER VOS, VIRI (sum) ATLAS: per *Methath. Lusatia superior*.
Nec ineptè *Gersdorfiorum* *Nomen* vel à *Latino Gero, rego* (per *transp.*)
Vel à *Gallico Guerir* (sanare) derivari potest.

Gerundis enim vel *regundis* *Rebus* maximis *Nemo* dexterior
Gersdorfio nostro felicior *Nemo*.

Guerir sanare à *Morbis Belli* non *Provincias* tantum;
Sed *integra* quoque *Regna* & *Imperia* ipsius est *proprium*.
Utrumque & totum *Nomen Nicolaus Gersdorffius* nil est aliud,
Quam *Victor* rerum *Arduarum*, *Regiarum* felicissimus *Gestor*!

V.
Electorum suum *Saxonicum* *Terrestrem*
Cum *Electorum* & *beatorum*, quod *Cælorum* supra *Axis* est,
Æterno & *Cælesti* *Regno* mutante
JOHANNE GEORGIO II.
Unicus *Ejusdem* *FILIUS* & *Axiomatis* *Electoralis* *Hæres*

In

In Univerſa Parentis beatiffimi Jura ſuccedens
JOHANNES GEORGIUS III.

Electoꝝ ſui Scipionem & Columen,
Conſiliiqꝛe Sanctioris *Caput*
Illuſtriſſimum *Baronem à Gersdorf* eſſe voluit,
Nec digniorem, nec Elimatiorem, nec Exaluminatiorem
Europâ teſte totâ habere potuit,
Qvi pleraqꝛe peſſimi (f) Exempli correxit,
Et in meliorem reduxit ſtatum:
Plura *Principi* ſuo evicit & acqviſivit
Cautis catiſqꝛe Conſiliis qvâm mille Militum Auxiliis.
Inde Sereniſſimus *DUX-Enſifer*

1680.

JOHANNES GEORGIUS III.

Magnanimus *Fortis & imperterritus*
S. R. Imperii Hoſtibus factus *Terror*,
Terrores Romani (g) Imperii *Duos*
Fœdos contra idem Imperium fœderatos
Enſis ſui fulgore territavit qvâm ſæpiſſimè,
Lunam & Lilia infelicia ferè eradicavit *Lolia*,
Lumen illius ad *Wiennam, Budam & Belgradum* imminuit,
Horum ad *Moguntiam* reſecuit Flores.
Liberandæ Germaniæ ab Incendii Terrore non Tertius nec ſecundus;
Sed Principum Germaniæ Omnium fuit *Primus*.

VI.

Auguſtali S. Imperii *Ducum-Electoꝝ Dieta*
Cum ipſe adeſſe non poſſet, *Os Oculumq;* ſuum intereſſe voluit
Ejuſdem Imperii *Banderherum & Baronem à Gersdorf*,
Qvi rerum Imperialium non Scientiâ tantum;
Sed & inveteratâ præpollens *Experientiâ*,
Totius Romani Imperii *Bibliotheca*,
Caſuum Europæoꝝum infallibilis *Index*
Ipſi *IMPERATORI Auguſtiſſimo*
Ducibus omnibus *OCTOVIRIS* Eoꝝumqꝛe Legatis
Miraculo fuit hoc in *Seculo*.
Suffragia Electionis ſaniora terre qvis potuit?
Qvâm is qvi Imperio XXX. per Annos ſalutaria ſuggeſſit Conſilia,
Conſilioꝝum ſcilicet *Electoꝝalium Conclave*,
Inexuperabilis Gersdorſius.
Rei tam arduæ ſolus qvidem ſufficiebat, nolebat tamen,
Sed ex Conſilio Status *Octoviralis Saxonici*
Præilluſtrem *Baronem Friſium* ſibi elegit Comitem,
Cujus Parens, *Patruus & Avus Orbi Saxonico*
Idem qvòd *Orbis Urbi* olim fuerunt *Catones*
Viva Virtutum Exemplaria & imagines (h)
Hic autem Imago Parentis, Patruſi Aviqꝛe viva.
Qvi tres omnes in Aula *trium Ducum-Electoꝝum Saxon.*
Purpuratâ Senatus ſanctioris fulſerunt Dignitate,
Et præter hanc *Avus* Conſilio *Aulico Cancellarius*,
Supremoqꝛe *Provocationum* Collegio *Præſes* præfuit.
Ex qvibus naſci *Filium Nepotemqꝛe* Reipublicæ fuit neceſſarium.
Oſtendit *Misnia* ſe qvòqꝛe *Catones* poſſe parere.
Hic autem Patriæ & toti Romano Imperio
Tâm *Auguſtæ* qvâm *Ratiſbonenſibus* Comitibus *Catonem* ſe probavit,
Et *Catonum* ubiqꝛe reportavit *Encomia*,
Ex Literis Nominis: **OTTO HENRICUS BARO FRISIUS**: reſul-
tantia:

1689.

B 2

O!

O! VIR FORTIS ET BONIS CHARUS!
JOSEPHO Hungarorum Regi & Archiduci Austriae
In Regem Romanorum eligendo *Augusta* Vindelicorum fatalis fuit,
Quia JOSEPHUS idem est quod AUGUSTUS,
Nec alibi quam *Augusta* inaugurandus erat *Augustus II.*
Ab Octavio *Augusto* ante hunc *Augustum* fuit nullus,
Nec præter FERDINANDUM IV. Rex creatus vix ullus est *Augusta.*
Sub *Augusto* nasci voluit CHRISTUS & natus est,
Ut suo impleret Orbem nomine augustissimo.
Augusta (i) Evangelicorum tradita est *Confessio*,
Et ibi quasi nata, totique Terrarum (k) Orbi facta nota.
Pax Religionis tribus (l) confirmata vicibus *Augusta*,
Augurio Ecclesiae optimo ab *Augusto Augusta* fundata est.
Ut *Ecclesia* incrementa nova & augustiores caperet fines,
Nec Angustioribus corriperetur; sed Novus *Augustus* verus eidem
esset *Augustus*

In Capitulatione Ejus Cautius cavit *Saxonica* Legationis Caput,
Ineffabilis *Prudentia*, *Pietatisq;* *Gersdorfianæ* *Zelus*,
Qui non Regioni tantum; sed & *Religioni*:
Non Aulis nec Arvis solis; sed *Aris* simul prospexit.
Immortalia hæc *Merita Augustana Ecclesia* hoc extollit *Elogio*,
Quod celeberrimum in se quidem celat *Nomen*:

NICOLAUS IMPERII BANDERHERUS à GERSDORF.

Sed transfusis literis cedit & exerit:

RELIGIONEM CURAS, DEFENDIS PROBUS: ARRHA I.
(JEHOVÆ scil.)

O! summa & inenarrabilis *Ecclesiae felicitas!*
Quod selectissimus Electioni Augustissimæ interfuerit *Gersdorfius!*
VII.

Hujus *Merita Herois* quædam recensuisti *Fama*,
Cætera iisdem, quibus Solis (m) cursus terminis, continentur.
Recensa *Mundus* admiratur,

Et magnum *Gersdorfium* hoc affatur *Præconiô*
Non ficto; sed evicto ex literis faustissimi *Nominis*:
NICOLAUS BANDERESIUS ET BARO à GERSDORF.
LAUDES SI NARRABO, ORBI REGENDO FACTUS ES.
Idem quod de Legatis Saxonis (n) STEPHANUS Rex Poloniæ
dixit duobus,

De uno & solo GERSDORFIO Omnes EUROPÆ prædicant Reges.
Stupescit idem *Mundus Fortunam*. Rarissimè enim Vidit
Duorum Electorum Saxonum Comitem Purpuratum,
Duorum Regum Australium, Septentrionaliumque duorum
Reconciliatorem, Placatorem & Pacificatorem felicissimum:
AUGUSTISSIMÆ IMPERATRICIS & REGIS ROMA-
NORUM

Coronationibus & Electioni Legatum Principem.

Ad Ardua & maxima Negotia *Heroem natum*,
Qui optimis Auspiciis (o) gessit omnia, contra auspicia nihil,
Cuncta enim pro *Salute* gessit *Reipublicæ*,
Consilia Ejus tam *Principi* quam *Aule* & *Optimo* (p) probata cuiq;
Inde *Baro Gersdorfius* inter *Optimates* habetur *optimus*,
Et reverà est Heroicarum *Virtutum*, liberalium literarum *Theatrum*,
Pietatis Templum, rarum Aulici Exemplum.
JUSTITIÆ Fulcrum & Munimentum.
Ex quibus vera *Virtutum* nascitur IDEA,
Cujus perpetuum *Axioma*:

RE-

RECORDOR: FAS, DIGNA BIS SOLVO MANU.
Qvô tam Nomine (transpos. literis) qvâm Omine sistitur
DOMINUS NICOLAUS BARO à GERSDORF.

VIII.

Nec minorem meretur Admirationem

Conjux Ejus, Heroïna Præillustris

HENRIETTA CATHARINA BARONISSA FRISIA

per Methat. Literarum:

EST RARIS AHA! (Omninò) BONIS &c. &c. vel H altero neglecto:
EA SAT RARIS BONIS, INFINITA ARTE CHARA.

Qvibus dilucidè notatur:

Virtutum omnium speculum, Sexusque sui Ornamentum

MINERVA (nupta qvamvis) hujus seculi.

Mores sui Conjugis ut *Paula* (q) *emulatur Senecæ.*

Qvæ in aliis Singulares, in hâc omnes Conjunctæ sunt Virtutes.

Marcellæ Romanæ Doctrinam Rerum Sacrarum

Literæ Artesque *Lastheniæ* (r) & *Aretes* (s) exornant:

Utrasque illustrat *Hortensia* (t) & *Cornelia* (u) *Grachæ* Eloquentia,

Et hæc Omnes *Artemisia* (x) & *Aspasia* (y) *Prudentia,*

Cornelia (z) Pompejæ Gravitas Morum elimat,

Pantheæ (aa) Castitas Enthea Coronat.

Ad *Marcellam* (bb) de Contemptu Mundi Divus scripsit Hieronymus:

Hæc nostra autem de eadem aliisque rebus sacris scribit ipsa.

Dignissima ut *Imperatricis* videret *Coronationem,*

A *Virtutibus* dudum jam *Coronata Heroïna.*

Ex Uberibus *Grachæ* (cc) Medullam *Svadæ* suxisse ferantur Filii,

Ex hâc autem *Parente* cum *Svadâ* *Pietatem,*

Cæterasque *Virtutes* cum *Lacte* sugunt Liberi,

Ut ille *Domui Gersdorfianæ* sint *hereditariæ,*

Sicut olim *Scipionibus* (dd) ab ipsius *Sapientiæ* stirpe generatæ.

O! *Fortunata!* O! *divinitus Benedicta Domus!*

IX.

Vivat ergò Victor Populi!

Victoria Tua & *Gloria SAXONIA,*

Illustrissimus

NICOLAUS BANDERESIUS & BARO à GERSDORF.

Hoc vigente *Victore,* victrix eris invincibilis,

Dextera Nicolai tuas gerente Res germinabis.

Respice, suscipe Magnum *Nicolaum,*

Ex te reddet *Dicolaum* seu *Laodiceam.*

Erotem tibi Conservabit & *Irenem,* qvam Quatuor Regnis restituit

Expulsâ *Bellona* & *Eride* pestiferis.

Heroëm Venerare insuperabilis Ingenii!

Cujus est de Virorum *ingeniis* judicare ingenuè,

Hoc *Dispensatore Optimi* non inepti

Muneribus honorantur, nec Munera onerantur,

Ut *Justitia* *Distributiva* sustentetur, non disturbetur,

Nec dignis denegando præmia

Virtutis studium torpeat, turperur & extirpetur:

Gersdorfianum venerare *Nomen,* qvia tibi est instar *Numinis:*

Vivat Illustrissima *Conjux* *Domusque Purpurata tota,*

Virtutibus fundata, cum iisdem nata, in iisdem educata!

In *Saxonis* *Capitolio* stet immota, immobile ceu *SAXUM!*

Vincat *Victor Nicolaus* *Malitiam* *Temporis,* *Senectutis* molestias!

Annorum à *JEHOVA* innumero *Coronetur* *Numero!*

Et *Rebus* feliciter gestis *Regiis,* absolutis *Omnibus,*

In

In *Augustissimo* quod supra Cœlorum Orbes est, Theatro,
 Aureâ & æterna Coronetur Corona
 Religionis Orthodoxæ Propugnator,
 Victor invictus & Invincibilis,
 Famâ immortalis Virtute incomparabilis,
 Memoriâ indelibilis!

Summatim Hec hisce redduntur numeris:

A Ulæ Saxonicæ LUMEN Gersdorffius orbis
 Implevit Famâ Fana Domoſque Ducum,
 Cujus Luminibus defecit Luna: sed Auster
 Conjunctus Zephyro cum Borea Boreas,
 Imperiique Caput qui Saxonis ore Creavit,
 Saxonis Os Oculûs Conſiliique Caput.
 Quod Templis Christi cautum prospexit & Aris,
 Ardua quod vicit, geſſit ovansque gerit.
 Vivat Io! Victor, Geſtor, ſcitiffima Conjux!
 Vivat tota Domus vivere digna diu!

- (a) Liv. Dec. 3. libr. 9. Plin. libr. 7. Cap. 34.
 (b) *Vexillo*. Limn. Jur. Publ. libr. 1. Cap. 7. n. 48. Libr. 4. Cap. 5. n. 10.
 (c) Fabios CCCVI. ſuſtulit una dies. Liv. Decad. 1. lib. 2. Ovid. lib. 2. Faſt.
 (d) Plut. in Fab. M.
 (e) Albin. Chron. Miſn. fol. 411.
 (f) Sveton. in Auguſt. §. 32.
 (g) Cic. pro L. Murena
 (h) Senec. de Tranquill. Anim. Cap. 15.
 (i) Reſc. Imp. 1530.
 (k) Lauterb. de Mirac. Auguſt. Confes.
 (l) Reſc. Imp. 1555. 1559. 1566.
 (m) Cic. in Catil. 4.
 (n) Andrea Pauli & Abrahamo Bokio legatis Auguſti Elect. Facile ſibi futurum,
 vel totum orbem terrarum Imperio ſuo moderari, ſi duos ſaltem haberet
 Conſiliarios horum ſimiles. Kirchn. de Legatis libr. 2. Cap. 10. num. max. 52.
 refer. Heidero Vol. 1. Orat. 12.
 (o) Cic. de Senect.
 (p) Cic. pro Seſtio.
 (q) Ludov. vives de Chriſtiana Fœm. libr. 1.
 (r) Platonis diſcipula.
 (s) Mater & Magiſtra Ariſtippi. Cæl. Rhodig. libr. 14. Cap. 1.
 (t) Valer. Max. libr. 8. Cap. 3.
 (u) Cic. in Bruto.
 (x) Reginæ Carix, Cujus Conſilio uſus Xerxes. Herod. libr. 8.
 (y) à Marito, Cyro Jun. in Conſil. adhibita Ælian. lib. 12. Cap. 1.
 (z) Plutarch. in Pompejo.
 (aa) Cæl. Rodig. lib. 14. Cap. 1.
 (bb) Zuing. in Theatr. Vol. 5. libr. 1. fol. 1200.
 (cc) Plutarch. in Grachis.
 (dd) Cic. in Bruto.



MC
 1077

F. R. 82.

X 2047364

Z6
3320

TRIUMPHALIS PORTA,

Seu
Anagrammatibus XIV. illustratum Epigramma sive INSCRIPTIO,

Qvâ
Serenissimi & Potentissimi PRINCIPIS, ac DOMINI
DOMINI

JOHANNIS GEORGI, III.

SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, ANGRIÆ &
WESTPHALIÆ DUCIS, SACRI RARSCHAL-

LI & ELECTORIS, CAST
Ad Au
DUCUM OC
Conventum AUGUS

LEGATUS

AUGU

LEONARDI

ROMANORUM IMP
CONJUGE & IMPE
Serenissima P

ELEONORA

LENA
NATA COMITE PALA
Magnifica

SERENISSIMO POTENT

DOMINO

REGE HUNGARIE
IN REGEM ROMANORUM

VICTOR rerum arduarum, Regiaru
Qvâ

DN. NICOLAI

NERHERUS & BARO à GERSDORF,

In Baruth, Hennersdorff, Buchvalde, Rakel, Bretteviz & Krekeviz Dynasta

Gloriosissimè memorato DUCI ENSIFERO

Confilii Status & Senatus Sanctioris Princeps & Camerarius supremus

Ab Eo Cujus Studium est Fixum

Revereri Gersdorfianam Domum

illustrissimam, tantiq; Herois

Res Gestas Delineare:

Exceptus humiliter.



DRESDÆ, STANNO BERGENIANO,

clō lbc XC.